

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exequiarum solennia in memoriam ac honorem
serenissimi Principis AC Domini, Domini Friderici,
Marchionis Badensis et Hachbergensis ..., submissa
mente celebrabit Capitulum Roetelanum ...**

Hoelzlin, Johann Laurentius

Carls-Ruh, [1732]

[urn:nbn:de:bsz:31-11492](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-11492)

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical script, possibly Latin or German. A circular stamp or seal is visible near the bottom center of the page.

Fragment of text from the adjacent page, including the letters 'M', 'H', 'S', and 'C'.

19
EXEQUIARUM
SOLENNIA

IN
MEMORIAM AC HONOREM
SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI
FRIDERICI,
MARCHIONIS BADENSIS ET
HACHBERGENSIS, LANDGRAVII
SAUSENBURGENSIS, COMITIS SPONHEI-
MENSIS ET EBERSTEINENSIS, DYNASTÆ ROETE-
LENSIS, BADEWILENSIS, LAHRENSIS ET MAHLBERGENSIS,
GENERALIS VIGILIARUM MAGISTRI AC CHILIARCHÆ,

SUBMISSA MENTE
CELEBRABIT

CAPITULUM ROETELANUM

ET

EUNDEM IN FINEM

CIVES

CONVOCAT,

PROTECTORES

INVITAT

CALAMO

PRÆSIDIS SUI

JOH. LAUR. HOELZLINI.



IN CARLS-RUH,
TYPIS ANDRÆ JACOBI MASCHENBAUERI, TYPOGR. AUL.

[1732]

ad Manus P. m.



Antum amissimus, L. B. in hoc uno, pientissimum FRIDERICUM compellito, quantum possidemus omnes. Cujus jam obitu ac habitu non privatum aliquem larem, aut urbem unam, sed patriam ipsam, hunc Marchionatum univcrsum unacum vicinis terris afflictum & percussum esse, unusquisque nostrum intelligit facile. Donaverat isto fulgidissimo ornamento Supremum Numen Badenses hasce regiones anno currentis seculi tertio. Quum enim secundo, parum secunda & tristissima potius fata nostratibus intulerat prælium Wilanum, mox subsequente tot votis tot lacrymis commotus DEUS, subditos fortunis dejectos, sedibus expulsos, Principis sui, tanquam novi Syderis ortu, denuo erexit, mirifice exhilaravit. Illuxerat tunc, vix illucescere inceperat septima Iduum Octobris, quum favente aurora prolem hunc splendidissimum in scenam publicam prodire voluit, singularis DEI immortalis providentia. Quippe quæ filium modo genitum, sacro statim baptismate celeberrimi Hochstetteri ministerio tinctum posterioribus etiam annis nunquam non sibi habuit commendatissimum. Cujus manifestissimum documentum in eo, B. L. omnino reperies, quod non vulgares illi parentes in caula natos dederat, sed potius ex Celsissimo Magnorum Principum stemmate generari illum benignè voluerit. Fuit felicissimus Pater, mæroris squalore, jam ubique oblitus, *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Carolus, Marchio Badensis &c. &c.* Cujus fortitudine admirabili prorsusque heroica res Publici adversariorum artibus in cruentissima prope Wilam (*benim Käfer, Hölzlin*) pugna, pene oppressæ, respirare paulisper ac denuo sese erigere cœperunt, ex qua arena redux celsissimus heros, palmam si non in foro, in thoro tamen subinde tulit, nativitate Filii pulcherrimè gavissus. Fuit felicissima Mater, planctu lamentisque nunc tristis, *Serenissima Princeps ac Domina, Domina Magdalena Wilhelmina, ex Wirtembergensium Sanguine nata, Dux vera pietatis integritate maxime conspicua, quæ ab incunabulis statim natum suum sincero virtutum amore imbuere, omni quidem nisu, sine multo tamen labore, FRIDERICUS enim lubentissime annuit maternis monitis, invigilavit. Confugerat tunc temporis Celeberrima Mater, armorum violentia principali sede, quam Durlaci tenuerat, Eheu! ejecta, Stuttgartiam, urbem in Germania famigeratissimam, ut à militum strepitu magis remota, partum à cœlesti patre concreditum, eo feliciter edere posset. Quo insuper factum, Principem celsissimis æque ac pientissimis Parentibus genitum (a-*

JUL. ANDREÆ JACOBI MASCHENBAUER, TYPOGR. quila

042862,3,119 RH

Z

quila aquilam!) pietatis pariter fervore laudabiliter incensum, ad omnia quævis Heröem exornantia, assistente S. Spiritu, fuisse educatum. Nam non linguarum saltem scientia, non Philosophiæ tantum studio, non rei militaris modo experientia à probatissimis Magistris solide fuit edoctus, sed præprimis etiam rerum Theologicarum notitiam sibi conciliavit avidissime. Quo fervore articulos fidei non tam leviori Catechetarum more quam potius acroamatica Methodo didicerit, qua attentione Historiam Ecclesiasticam tenuerit, qua devotione S. Codicem perlegerit, dicta Cardinalia vel rubro vel viridi calamo notaverit, mihi quidem servorum minimo constat optime, & ad testes magis inclytos Consiliarios intimos adhuc vivos, qui fere stupefacti Principem ad S. epulum anno 1718. prima vice deproperantem, qua promptitudine fidei suæ rationem dederit, audiverunt, in publico provocare possem, si non devoto verbi divini auditu, nunquam neglecto, perpetuo innocentis vitæ studio, queis subditos in agris etiam ædificavit, hæc omnia ipse comprobaverit FRIDERICUS, eandem ob causam PIUS merito cognominandus. Hinc quod piis semper promissum, clarissimis præmiis sanctissimam istam integritatem, remuneravit clementia cæli. Comes fuit potentissimus DEUS, Principi nostro in itinere, terra marique per remotiores regiones haud sine periculo iteratis vicibus suscepto, reddidit semper Celsissimis Parentibus Filium salvum ac incolumem, reddidit fortunatissimo Filio Parentes sartos, tectosque ac eos tam amoris haud fucati, quam obsequii Filialis vinculo divinitus inter se junxit. Et quod silentio involvi non debet Principem hunc ad altiora natum, ipsa nativitate secundum, Fratrem anno 1712. ad choros angelicos evocato idoneum judicavit divina Sapiencia, qui Principis hæredis dignitate, hanc vero non titulo saltem, sed prudentissima rerum publicarum administratione gessit, adaugeretur. Feliciter quoque Castissimus, juventutis Princeps, dirigente matrimonii autore, thorum est ingressus, anno 1727. hujus enim Sociam illi adjunxit D. T. O. M. Serenissimam Duce[m] ac Dominam, *Dominam Annam Charlottam Amaliam, Principem Arausionensem ac Nassoviensem &c. &c.* quæ fecundissima Filiorum genitrix, non uno saltem hærede *Carl Friderich* appellato, sed altero etiam nato, cui nomen *Ludwig Wilhelm* impositum est, Serenissimum Patrem exhilaravit. Ut certe omnia felicitatis genera, à pio Principe exoptanda, in hunc nostrum mirifice affluxisse, nullus non, multa cum demiratione observavit. Ast Eheu! quam infirmo res pariter Magnatum in hoc mundo stent pede, quam lubrico nitantur terrestria gaudia fundamento, manifestissimo hoc felicissimi FRIDERICI exemplo apparet. Ad summum enim felicitatis fastigium evectus cum videretur,

retur,

retur, ad imum insperato detruditur infortunii statum. Infensissimus dies, Martii 22. lethali morbo corripuit Principem, & quum nulla optimorum Medicorum Consilia, ad relevandum ægrotum suffecerint, vita tandem die 26. ejusdem mensis circa horam ante meridiem quartam exutus, ad æterna Beatorum gaudia lætus emigrat. Serenissimos Parentes hoc funere præprimis afflictos, omni prole nunc destitutos, Serenissimam Conjugem acerrimo viduarum habitu contectam, selectam Filiorum Bigam, patris tutela privatam, Ministros, Servos ac Subditos, tanti Nutritoris clementia desertos relinquit. Utpote qui funestissimus Casus, qua doloris vehementia omnes ac singulos, quotquot bonorum sunt, afficiat, ex laments ubique institutis, ex lacrymis undiquaque effusis, facile colligitur. Ad aures etiam superioris hujus Marchionatus, pervenerunt, lugentium murmura gementium ejulatus, quos inopinatus hic, tanti Herois decessus inferioris regionis incolis extorsit hæctenus: Nos itaque qui eadem cum istis gratia, à gratiosissimo FRIDERICO semper sumus protecti, limites enim nostros, præsentia sua cum quandoque dignatus fuerit, quam suavi in verbis humanitate, quam humana in gestibus suavitate obvios exceperit, devotissima in hunc usque diem tenemus memoria, nos inquam planctus magis publicos edere, par est. Edidimus nuper in templo cantelis, declamationibus & reliquis. Nunc ut tanti Principis virtutes posterorum quoque mente manent repostæ, Capitulum nostrum Rœtelanum, ut Clementissimi sui Favitoris encomia panegyrico quodam decantentur, suarum esse partium, merito statuit. Ad quod officium rite exsequendum, assurgat in Cathedram Oratoriam VIR Præclarissimus, eleganter doctus Dominus Joh. Theoph. Nuding, Pædagogii nostri Lörracensis Pro-Rector. Cujus in differendo facundia quantumvis in exilioribus etiam argumentis versetur, ad audiendum aures facile concitare potest, in hoc præsentem tamen objecto imprimis arduo, omnes ac singulos ad comparendum invitat, nec poenitebit unicum, aures huic oratori dedisse. Enarrabit quidem, quantum pro exiguo temporis spatio fieri potest, aut potius mirabitur, eximias FRIDERICI Virtutes, at etiam ut cœlestis Pater, Serenissimos Parentes totamque Familiam Principalem, solamine, dulcissimo erigat, futurumque eos tristissimis ejusmodi Tragædiis exemptos, longæva vita ad seros annos conservet, submissa nuncupabit vota. Id quod nono Junii die in auditorio publico hora post meridiem secunda, diligenter instituet. Hinc ut Patienter audiant orantem, Superiores rogamus, precamur, alios invitamus, provocamus.



